

ci principium quo aliquis vult bonum, vel malum, illud quo quis eligit bonum, vel malum, sequendo hanc, vel illam inclinationem; & sic est eadem voluntas. Tertio modo potest dici ipse actus voluntatis, quo voluntas vult bonum, & quo vult malum in actu; & sic non est dubium alium esse actum voluntatis, quo quis vult bonum, & quo vult malum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis potentia rationalis sit ad opposita, non tamen ad utrumque oppositorum æqualiter ordinatur; sed ad unum naturaliter, & ad alterum, secundum quod a perfectione propriæ naturæ deficit; & ideo alia est voluntas quæ naturaliter tendit in bonum, scilicet voluntas rationis, & alia quæ naturaliter tendit in malum hominis, secundum quod est homo, scilicet voluntas sensualitatis, & præcipue secundum quod est per fomitem corrupta.

Ad secundum dicendum, quod voluntas ut deliberata, & ut natura, non differunt secundum essentiam potentiam: quia naturale, & deliberatorium non sunt differentie voluntatis secundum se, sed secundum quod sequitur iudicium rationis: quia in ratione est aliquid naturaliter cognitum quasi principium indemonstrabile in operabilibus, quod se habet per modum finis, quia in operabilibus finis habet locum principii, ut in VI. Ethic. cap. 11. dicitur. Unde illud quod finis est hominis, est naturaliter in ratione cognitum esse bonum, & appetendum; & voluntas consequens istam cognitionem dicitur voluntas ut natura. Aliquid vero est cognitum in ratione per inquisitionem ita in operativis, sicut in speculativis; & utrobique, scilicet tam in speculativis, quam in operativis, contingit inquirentem rationem errare: unde voluntas quæ talem cognitionem rationis sequitur, deliberata dicitur, & in bonum, & malum tendere potest, sed non ab eodem inclinante, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod liberum arbitrium nominat potentiam eligentem bonum, & malum, & non illud quod ad utrumque inclinatur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis eadem ratio possit esse veri, & falsi, non tamen ex eodem habet quod sit utriusque; sed ex virtute primorum principiorum, quæ sunt naturaliter cognita, habet ut veritatem cognoscat, ex phantasia vero habet ut falsum iudicet. Similiter in electione voluntatis est rectitudo ex naturali inclinatione, cum auxilio gratiæ; sed est in ea peccatum ex corruptione inferiorum virium, quæ in peccatum inclinant.

Ad quintum dicendum, quod voluntas est secundum hoc determinata, & in unum naturaliter tendens, ita quod in alterum naturaliter non tendit; non tamen in illud in quod naturaliter tendit, de necessitate, sed voluntarie tendit; unde & potest illud non eligere. Similiter potest etiam non eligere illud peccatum in quod sensualitas corrupta inclinatur: quia inclinatio naturalis, ut dictum est, est secundum exigentiam naturæ inclinantis.

QUÆSTIO III.

Deinde queritur de superiori scintilla rationis: & circa hoc queruntur tria.

Primo. Utrum superior scintilla rationis possit extinguui.

Secundo. Supposito quod non extinguatur, utrum conscientia possit errare.

Tertio. Utrum conscientia errans liget.

ARTICULUS I.

Utrum superior scintilla rationis possit extinguui.

De verit. quæst. XVI. a. 1. & q. XVII. a. 2. ad 3.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod superior scintilla rationis possit extinguui. Error enim rationis extinctio ejus dicitur, quia tenebræ comparatur. Sed hanc scintillam rationis contingit errare, ut patet in Glossa Hieronymi Ezech. 1. ubi præter verba quæ in littera inducuntur, paullo post subdit: *Hanc autem conscientiam sæpe præcipitari videmus.* Ergo superior scintilla rationis potest extinguui.

2. Præterea. Superior scintilla rationis videtur esse superior rationis pars. Sed ratio superior potest peccare, etiam mortaliter, ut supra dictum est. Ergo scintilla ista potest extinguui.

3. Præterea. Proprietas hujusmodi scintillæ est, quamdiu manet, ut malo remurmuret. Sed in hæreticis nihil est quod remurmuret in his peccatis quæ secundum sectam suam faciunt: quia etiam in occisione justorum arbitrantur se obsequium præstare Deo, ut dicitur Joan. XVI. Ergo scintilla rationis est in eis extincta.

4. Præterea. Philosophus dicit in VII. Ethicor. cap. VIII. quod mali, scilicet qui habitum vitii jam acquisiverunt, ignorantiam finis habent. Sed non potest fieri murmur quantum ad actum, nisi secundum quod cognoscitur deviatio à fine. Ergo videtur quod in illis quorum potentia per hujusmodi habitus corruptæ sunt, hujusmodi murmur cesserit, & ita scintilla rationis in eis extinguatur.

5. Præterea. Idem est quod remurmurat malo, & quod inclinatur ad bonum. Sed in damnatis non est aliquid incitans eos ad bonum. Ergo nec in eis est aliquid remurmurans malo; & ideo scintilla rationis in eis extinguatur.

Sed contra. Scintilla rationis extinguui non potest, lumine intellectus remanente. Sed lumen intellectus numquam per peccatum tollitur, quia lumen illud ad imaginem pertinet, ut patet ex eo quod dicitur in Psalm. IV. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* ubi Glossa exponit de consignatione imaginis. Ergo scintilla rationis per peccatum non extinguatur.

Præterea. Illud quod est naturale, per peccatum non tollitur. Sed inclinatio ad bonum est homini naturalis, ut dictum est, quæ est secundum rationis scintillam. Ergo scintilla rationis per peccatum non extinguatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, secundum Dionysium in VII. cap. de divin. Nom. divina sapientia conjungit prima secundorum ultimis primorum, quia, ut in Lib. de Causis, propos. xxx. ostenditur, in ordine creatorum oportet quod consequens præcedenti simuletur, nec hoc potest esse, nisi secundum quod aliquid participat de perfectione ejus; quod quidem inferiori modo est in secundo ordine creaturarum quam in primo: unde hoc quod inferior creatura de similitudine superioris participat, est supremum in inferiori, & ultimum in superiori, quia est deficientius receptum quam in superiori sit. Inter creaturas autem talis est ordo ut primo sit Angelus, & secundo sit rationalis anima. Et quia rationalis anima cot-

po-

pōri conjuncta est, ideo cognitio debita sibi secundum suam proprium ordinem, est cognitio quæ a sensibilibus in intelligibilia procedit, & non pervenit in cognitionem veritatis, nisi inquisitione præcedente: & ideo cognitio sua rationalis dicitur. Quia vero Angelus simpliciter incorporeus est, nec corpori unitur, cognitio naturæ suæ debita est ut simpliciter sine inquisitione veritatem apprehendat: propter quod intellectualis natura nominatur. Oportet ergo quod in anima rationali, quæ Angelo in ordine creaturarum configuratur, sit aliqua participatio intellectualis virtutis, secundum quam aliquam veritatem sine inquisitione apprehendat, sicut apprehenduntur prima principia naturaliter cognita tam in speculativis quam etiam in operativis: unde & talis virtus intellectus vocatur, secundum quod est in speculativis; quæ etiam, secundum quod in operativis est, synderesis dicitur: & hæc virtus scintilla convenienter dicitur, quod sicut scintilla est modicum quid ex igne evolans, ita hæc virtus est quædam modica participatio intellectualitatis, respectu ejus quod de intellectualitate in Angelo est: & propter hoc etiam superior pars rationis scintilla dicitur, quia in natura rationali supremum est: unde & Hieronymus (a) dicit quod per aquilam significatur, quæ cætera animalia in volando transcendit: ita & hæc virtus transcendit rationabilem, quæ per hominem significatur, & concupiscibilem quæ per vitulum, & irascibilem quæ per leonem. Sicut autem non contingit in speculativis intellectum errare circa cognitionem primorum principiorum, quin semper repugnet omni ei quod contra principia dicitur; ita etiam non contingit errare in practicis in principii primis: & propter hoc dicitur, quod hæc superior rationis scintilla, quæ synderesis est, extinguui non potest; sed semper repugnat omni ei quod contra principia naturaliter sibi indita est.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut non contingit intellectum errare circa principia secundum se considerata, contingit tamen errare circa ea, secundum quod sunt virtute in conclusionibus, per malam ratiocinationem; ita etiam lumen synderesis in se numquam extinguatur; sed secundum quod deliberando deducitur in conclusionem operabilis, potest esse defectus, secundum quod per impetum delectationis, & passionis cujuscumque, aut etiam falsæ inductionis errorum; conclusio non recte ex principii primis deducitur: & ideo non dicit, quod synderesis præcipitur, sed quod conscientia præcipitur, quæ est conclusio, ut supra dictum est; & est in ea virtus synderesis, sicut virtus principiorum in conclusione.

Ad secundum dicendum, quod synderesis est aliud à superiori parte rationis, quia est supra totam rationem, ut Hieronymus dicit in Glossa inducta: unde non sequitur quod si in ratione sit peccatum, in synderesi sit peccatum.

Ad tertium dicendum, quod sicut lumen intellectus naturale non sufficit in cognoscendo ea quæ fidei sunt; ita etiam non sufficit in remurmurando his quæ contra fidem sunt, nisi lumine fidei adjuncto: & ideo synderesis etiam in infidelibus manet integra quantum ad lumen naturale; sed quia privato (1) lumine

In II. Sent. Tom. II.
(1) Id est ablato. (2) Vulgata addit illis.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Super eundem locum Ezechielis jam notatum, ubi non ex proprio sensu, sed aliorum interpretatione quatuor animalibus mystice ibi designatis quatuor potentias animæ comparari notat, rationem homini, partem irascibilem leoni, concupiscibilem vitulo, synderesim aquilæ, quasi super omnes alias eminentem, ac eas, cum à recto aberrant, corrigentem;

fidei excæcati sunt, non remurmurat eorum synderesis his quæ contra fidem sunt. Vel dicendum, quod synderesis semper remurmurat malo in universali; sed quod in hæretico non remurmurat huic malo particulari, hoc contingit propter errorem rationis in applicatione universalis principii ad particulare opus, ut patebit in sequenti articulo.

Ad quartum dicendum, quod ignorantia malorum qua finem ignorant, non est ignorantia opposita scientiæ universali; quia si à malo quæretur, utrum bonum esset fornicari, diceret quod non: sed habet ignorantiam finis oppositam scientiæ de fine, secundum quod immiscet se ad electionem hujus particularis operis, sicut principium ad conclusionem immiscetur: & ita propter inclinationem habitus contrarii deficit malus de finis iudicio. Judicat enim hoc esse tamquam per se bonum, ut cum muliere delectetur: & ideo propter inclinationem habitus, & impetum passionis non percipitur mente synderesis murmur, quia anima est quasi inebriata passione. Unde & si exterius contrarium proferat, non tamen mens sua interior ita tenet; sicut ebrii dicunt verba sapientum exterius, quæ tamen interior non intelligunt: & est exemplum Philosophi in VII. Eth. cap. V. in hac materia loquentis.

Ad quintum dicendum, quod etiam in damnatis manet naturalis inclinatio qua homo naturaliter vult bonum; sed hæc inclinatio non dicitur actum aliquem, sed solum ordinem naturæ ad actum. Hic autem ordo, & habitus numquam in actum exit, ut bonum actualiter vellet, propter perpetuum impedimentum obstinationis voluntatem ligantis; sed tamen naturalis cognitio manet: & ideo semper manet murmur rationis contra voluntatem; voluntas tamen numquam rationi obedit.

ARTICULUS II.

Utrum conscientia aliquando erret.

De ver. q. XVII. art. 3.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod conscientia numquam erret. Ad hoc enim quod aliquod iudicium sit certum, oportet in dictis testium certam veritatem esse. Sed in divino iudicio, quod certissimum est, numquam à justitia declinans, conscientia tenet locum testis, ut patet Rom. 11. 15. *Testimonium reddente (2) conscientia eorum.* Ergo conscientia infallibilem veritatem habet, & ita non errat.

2. Præterea. Illud quod est naturale, est idem apud omnes, & semper. Sed secundum Basilium, in principio Proverbiorum, conscientia est naturale iudicium. Ergo conscientia semper manet in sua rectitudine, & ita non errat.

3. Præterea. Illud quod est primum in aliquo ordine, oportet esse fixum, & stans: omnis enim motus procedit ab immobili, ut dicit Augustinus VIII. super Gen. cap. XXI. Sed lex est dirigens in omnibus actibus humanis. Ergo lex immobiliter rectitudinem continet. Sed conscientia est lex intellectus nostri, ut dicit Damascenus de Fide orth. Lib. IV. cap. 2. Bbb 2

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ubi dicitur, quod conscientia est lex intellectus nostri, ut dicit Damascenus de Fide orth. Lib. IV. cap. 2. Bbb 2

cap. XXI. Ergo conscientia semper recta est, & numquam errat.

4. Præterea. Conscientia scientia quædam est. Sed scientia semper verorum est, ut patet I. Post. Ergo nec conscientia errare potest.

5. Præterea. Ut dicitur VII. Ethic. cap. 11. secundum hoc scientia in incontinente obtinebratur, quod à passionibus vincitur. Sed conscientiam passionibus non vincunt: quia quando secundum passionem homo operatur, conscientia remurmurat. Ergo conscientia à propria rectitudine non obliquatur, & ita non errat.

Sed contra. Ezech. 1. in Glossa Hieronymus dicit: *Conscientiam interdum præcipitari videmus.* Sed præcipitium ejus est ipsius error. Ergo conscientia quandoque errat.

Præterea. Ad conscientiam pertinere videtur arbitrium de rebus agendis, vel non agendis. Sed in hoc arbitrio plerumque homines decipiuntur, ut patet Joan. XVI. 2. *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex prædictis patet, prima principia, quibus ratio dirigitur in agendis, sunt per se nota; & circa ea non contingit errare, sicut nec contingit errare ipsum demonstrantem circa prima principia. Hæc autem principia agendorum naturaliter cognita ad synderesim pertinent, sicut Deo esse obediendum, & similia. Sicut autem in scientiis demonstrativis ex principiis communibus non deducuntur conclusiones, nisi mediantibus principiis propriis, & determinatis ad genus illud, virtutem primorum principiorum continentibus; ita in operabilibus, in quibus ratio deliberans syllogismo quodam utitur ad inveniendum quid bonum sit, ut patet ex III. de Anima, text. LVII. ex principiis communibus in conclusionem hujus operis determinati venit mediantibus quibusdam principiis propriis, & determinatis. Hæc autem propria principia non sunt per se nota naturaliter, sicut principia communia; sed innotescunt vel per inquisitionem rationis, vel per assensum fidei. Et quia non omnium est fides, ut dicitur II. Thessal. III. iterum quia ratio conferens quandoque decipitur; ideo circa ista principia contingit errare; sicut hæreticus errat in hoc quod credit omne juramentum esse illicitum. Et hæc principia determinata pertinent ad rationem superiorem, vel inferiorem; veritas autem conclusionis dependet ex utrisque principiis: & ideo cum conscientia sit quædam conclusio sententiens quid bonum sit fieri, vel dimitti, ut patet ex his quæ dicta sunt supra distinct. XXIV. quæst. III. art. 3. contingit in conscientia errorem esse propter hoc quod ratio decipitur in principiis appropriatis; sicut conscientia hæretici decipitur dum credit se non debere jurare etiam pro causa legitima, quando ab eo expetitur: non quia decipiatur in hoc communi principio, quod est nullum illicitum esse faciendum; sed quia decipitur in hoc quod credit omne juramentum esse illicitum, quod quasi pro principio accipit.

Ad primum ergo dicendum, quod conscientia dicitur esse testis, in quantum id retinet contra quod voluntas fecit, quasi voluntatem accusans de eo quod sibi non obediit: & in hoc non errat, quia facere contra conscientiam, peccatum est, ut infra dicitur:

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut Lib. XXII. contra Faustum cap. xxv. Augustinus diffinit.

sed propter hoc non remouetur quin errare possit in hoc quod de faciendo, vel non faciendo sententiat.

Ad secundum dicendum, quod conscientia dicitur naturale iudicium non per se, sed in quantum virtus synderesis in ipsa manet; sicut virtus principiorum salvatur in conclusionibus: & ex parte illa non errat.

Ad tertium dicendum, quod conscientia non est prima lex, & primum dirigens in humanis actibus; sed quasi quædam applicatio primæ legis, scilicet principiorum communium ad actus particulares; propter quod à Damasceno lex intellectus dicitur: unde non oportet quod semper sit recta.

Ad quartum dicendum, quod conscientia non dicitur scientia simpliciter, sed secundum quid, scilicet secundum æstimationem illius cuius est conscientia: dicitur enim conscientia, secundum quod aliquis sibi conscius est. Quamvis autem scientia semper sit verorum, non tamen quidquid aliquis æstimat se scire, verum est: & ita non oportet quod semper sit conscientia vera.

Ad quintum dicendum, quod in conclusione particularis agendi dupliciter contingit esse defectum. Uno modo ex falsitate principiorum, ex quibus syllogizatur; & hoc modo in conclusione tenetur id quod veritati contrarium est: & hic est error conscientia. Alio modo ex impetu passionum absorbentium, & quasi ligantium rationis iudicium in particulari, ut actus non consideret nec hoc, nec ejus oppositum; sed voluntas sequatur delectabile quod sensus proponit; & hic est error electionis, & non conscientia.

ARTICULUS III.

Utrum conscientia errans obliget.

2. 2. quæst. XIX. art. 5. & de verit. quæst. XVII. art. 1. & quodl. III. art. 27. & quodl.

VIII. art. 8.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod conscientia errans non obliget. Quicumque enim non facit hoc ad quod obligatur, peccat. Sed peccatum, ut supra dictum est, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. (a) Cum igitur conscientia, & ratio errans non sit secundum legem Dei, videtur quod non obliget.

2. Præterea. Omne peccatum reducitur ad aliquod genus peccati: quia nihil est in genere quod non sit in specie, ut in II. Topicor. dicitur. Sed si aliquis habeat conscientiam furandi, ut pascat patrem, hoc furari non reducitur ad aliquod genus peccati, ut patet in discurrendo per singula. Ergo talis non peccat: ergo talis conscientia erronea eum non obligabat.

3. Præterea. Præceptum inferioris non potest obligare contra præceptum superioris, ut infra XI. dist. quæst. 2. art. 2. & 3. dicitur, quod præceptum Proconsulis non obligat ad faciendum aliquid contra præceptum Imperatoris. Sed Deus superior est conscientia nostra. Ergo conscientia nostra non potest nos obligare ad faciendum aliquid contra præceptum Dei; & sic idem quod prius.

4. Præterea. Deus est potentior, & majoris auctoritatis quam conscientia nostra. Sed Deus non potest nos obligare ad peccatum faciendum suo præcepto. Ergo multo minus conscientia.

Præ-

5. Præterea. Nullus faciens hoc ad quod obligatur, peccat: alias esset perplexus; quod est impossibile, quia sic necessario peccaret. Sed si habeat aliquis erroneam conscientiam quod debeat fornicari, & fornicetur, non excusatur à peccato: alias tyranni, qui Sanctos occiderunt, non peccassent, quia arbitrabantur se obsequium Deo præstare. Ergo conscientia erronea non obligat.

6. Præterea. Dictamen conscientia non facit ut id quod est veniale, sit mortale: quia alicui dicitur conscientia quod non est bonum loqui verba otiosa; nec tamen dicens, mortaliter peccat. Sed plus distat malum à bono, quam veniale à mortali. Ergo conscientia errans non obligat ad ea quæ sunt secundum se mala.

Sed contra. Super illud Eccles. VII. *Scit enim tua conscientia &c.* dicit Glossa (interlinealis), *Qua, scilicet conscientia iudice, nocens non absolvitur.* Sed præceptum iudicis obligat ad aliquid faciendum. Ergo conscientia obligat.

Præterea. Rom. XIV. 23. dicitur: *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* id est contra conscientiam: Glossa: (b) *Etiam si bonum est quod fit.* Sed conscientia prohibens bonum, est errans. Ergo conscientia errans obligat.

Præterea. Iste habet conscientiam, si non fornicetur, quod peccat mortaliter. Omne autem peccatum mortale est ex contemptu Dei. Sed quicumque facit aliquid intentione contemnendi Deum, mortaliter peccat. Ergo iste mortaliter peccat; & ita conscientia errans eum obligabat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt duæ opiniones.

Quidam enim distinguunt tria genera operum. Quædam enim sunt opera per se bona; & conscientia quæ ea facienda dicitur, non est errans, sed recta: unde talis conscientia simpliciter ligat, nec unquam deponenda est. Quædam vero sunt de se indifferentia, ut levare festucam, vel aliquid hujusmodi; & si conscientia talia opera dicitur esse facienda, obligat ad faciendum, non simpliciter, sed manente tali conscientia: unde tenetur vel conscientiam istam deponere, quia erronea est, vel facere quod conscientia dicitur: aliter enim peccat. Quædam vero opera sunt de se mala, sicut fornicari, mentiri, & hujusmodi: & hæc nullo modo conscientia obligare potest. Sed verum est quod si aliquis credat se non fornicando legem Dei contemnere, non propter hoc quod conscientia eum ad fornicandum ligat, peccat; sed quia in contemptum Dei, hoc quod dimittendum est, dimittit.

Sed si diligenter videatur quomodo conscientia ligat, invenitur in omnibus ligare, ut alia opinio dicit. Conscientia enim quoddam dictamen rationis est. Voluntas autem non movetur in aliquid appetendum, nisi præsupposita aliqua apprehensione: objectum enim voluntatis est bonum, vel malum, secundum quod est imaginatum, vel intellectum. Intentionem autem boni, vel mali ratio ipsa demonstrat. Unde cum actus voluntatis ex objecto specificetur, oportet quod secundum rationis iudicium, & conscientia, voluptatis actus procedat: & per modum istum conscientia ligare dicitur: quia scilicet si aliquis

fugiat per voluntatem quod ratio bonum dicitur, est ibi fuga boni, quæ fuga malum est: quia voluntas fugit illud ac si esset bonum secundum rationem, propter tristitiam aliquam secundum sensum: & similiter si ratio diceret aliquid bonum esse malum, voluntas non potest in illud tendere, quin malis sit: tendit enim in illud, ut ostensum est à ratione, & ita ut in malum simpliciter, propter apparem bonum secundum sensum: & ideo sive ratio, sive conscientia recte iudicet, sive non, voluntas obligatur hoc modo, quod si iudicium, vel dictamen rationis, quod est conscientia non sequitur actus voluntatis, inordinatus est; & hoc est obligare, scilicet adstringere voluntatem, ut non possit sine deformitatis documento in aliud tendere, sicut ligatus non potest ire.

Sciendum tamen quod aliter ligat conscientia errans, aliter conscientia recta. Conscientia enim recta obligat simpliciter & per se: hoc enim quod est per ipsam dictatum, est in se bonum, & ex iudicio rationis bonum apparet: unde si non fiat, malum est; & si fiat, bonum est. Sed conscientia erronea non obligat nisi per accidens, & secundum quid: si enim dicitur aliquid esse faciendum, illud fieri in se consideratum, non est bonum necessarium ad salutem, sed apprehenditur ut bonum: & ideo cum non liger, nisi secundum quod est bonum, non obligatur voluntas per se ad hoc, sed per accidens, scilicet ratione apprehensionis, qua iudicatur bonum: & ideo si fiat aliquid quod est secundum se malum, quod errans ratio iudicat bonum, peccatum non evitat; si autem non fiat, peccatum incurritur: quia unus defectus bonitatis sufficit ad hoc quod aliquid dicatur malum, sive desit bonitas, quæ est per accidens, secundum quod res apprehenditur in ratione boni, sive bonitas quæ est rei per se; sed si sit altera tantum, scilicet quæ est per accidens, non propter hoc erit actus bonus. Et ista solutio accipitur ex verbis Philosophi in VII. Ethic. cap. IX. ubi quaeritur, utrum dicatur aliquis incontinens ex hoc quod per passionem discedit à qualicumque ratione, sive recta, sive non recta; vel dicatur incontinens propter hoc quod discedat à ratione recta: & solvit, quod dicitur incontinens per se, & simpliciter propter hoc quod discedit à ratione recta; sed dicitur per accidens incontinens ex hoc quod discedit etiam à qualicumque ratione, sive recta, sive non recta.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis illud quod ratio dicitur, per se non sit secundum legem Dei, sicut nec per se bonum; tamen per accidens est secundum legem Dei, sicut & bonum, in quantum ratio apprehendit ipsum ut secundum legem Dei, & bonum: & ideo sequitur quod conscientia errans per accidens obliget, & non per se.

Ad secundum dicendum, quod conscientia errans, quæ dicitur aliquid esse faciendum, dicitur illud esse faciendum sub aliqua ratione specialis boni, vel quia primum videtur, vel justum, vel aliquid hujusmodi: unde qui contra hanc conscientiam facit, peccat; & peccatum illud opponitur virtuti sub cuius ratione ratio oppositum dicitur.

Ad tertium dicendum, quod conscientia obligat non virtute propria, sed virtute præcepti divini: non enim conscientia dicitur aliquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur; sed hac ratione, quia à Deo præceptum est: unde per accidens ex virtute di-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Sicut in Glossa interlineali videri est. Ex Glossa quoque interlineali super Eccles. VII. præcedentia desumuntur.

vini præcepti obligat, in quantum dicitur hoc ut præceptum à Deo: & ideo dictamen conscientie plus obligat quam præceptum prælati, sicut & præceptum divinum, in cuius virtute ligat; sicut patet, si præceptum Regis non perveniret ad populum, nisi mediante aliquo principe; si princeps diceret, Hoc est præceptum à Rege, quamvis non esset verum; dictum suum obligaret ut præceptum Regis; ita quod contemptores mererentur poenam.

Ad quartum dicendum, quod ideo Deus non potest nos obligare ad peccatum faciendum, quia non potest errare, ut iudicet hoc esse faciendum quod non est faciendum; conscientia autem errare potest: & ideo non est simile.

Ad quintum dicendum, quod simpliciter nullus perplexus est, absolute loquendo; sed quodam posito non est inconveniens, illo stante, aliquem perplexum fore: sicut intentione mala stante, sive fiat actus debitus, qui est in præcepto, sive non fiat, peccatum incurritur: similiter etiam stante erronea conscientia, quidquid fiat, peccatum non vitatur. Sed potest homo conscientiam erroneam, sicut & intentionem pravam, deponere; & ideo simpliciter non est perplexus.

Ad sextum dicendum, quod conscientia, ut dictum est obligat virtute præcepti divini, sub cuius ratione apprehendit illud quod ratio dicitur: & ideo si illud apprehendatur ut directe cadens sub præcepto, peccat mortaliter, omitendo quod conscientia dicitur, etiamsi sit veniale, & indifferens. Si autem apprehendatur ut non directe cadens sub præcepto, vel prohibitione, tunc non fit directe contra conscientiam, sed præter eam: & ita non peccatur mortaliter, sed venialiter, vel etiam nullo modo; sicut quando conscientia dicitur alicui, quod bonum est facere aliquod opus consilii, si non facit, non peccat: quia non apprehendit illud ut bonum debitum, & necessarium ad salutem, & præcepto subiacens.

DISTINCTIO XL.

An ex fine omnes actus pensari debeant, ut simpliciter boni, vel mali dicantur.

Post hæc adiciendum videtur de actibus, utrum & ipsi ex fine, sicut voluntas, pensari debeant boni, vel mali. Licet enim secundum quosdam omnes boni sint, in quantum naturaliter sunt; non tamen absolute omnes dicendi sunt boni, nec omnes remunerabiles; sed quidam simpliciter mali dicantur, sicut & alii boni: nam simpliciter, ac vere boni sunt illi actus qui bonam habent causam, & intentionem; id est, qui bonam voluntatem comitantur, & ad bonum finem tendunt. Mali vero simpliciter dici debent qui perversam habent causam, & intentionem. Unde Ambrosius ait Lib. I. de Offic. cap. xxx. „Affectus tuus operi tuo nomen imponit.“ & Augustinus super Psalm. xxxi. (a), „Nemo computet bona opera sua ante fidem. Ita enim mihi videtur esse ut magnæ vires, & cursus celerissimus præter viam: quia ubi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, & intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit attendat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat.“ His testimoniis insinuari videtur, ex affectu, & fine opera esse bona, vel mala: quibus consonat quod Dominus in Evangelio Math. vii. 18. ait: „Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.“ Nomine arboris non humanæ mentis natura, sed voluntas intelligitur: quæ si mala fuerit, non bona, sed mala facit opera; si vero bona fuerit, bona, non mala facit opera.

Utrum

(1) Supple intellectus, vel ratio &c. ut in textu. Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Ut in præfatione videre est paullo alia serie quam hic.

Utrum omnia opera hominis ex affectu, & fine sint bona, vel mala.

SED queritur, utrum omnia opera (1) hominis ex affectu, & fine sint bona, vel mala. Quibusdam ita videtur esse, qui dicunt, omnes actus esse indifferentes, ut nec boni, nec mali per se sint; sed ex intentione bona bonus, & ex mala malus sit omnis actus: secundum quos quilibet actus potest esse bonus, si bona intentione geratur. Aliis vero videtur quod quidam actus in se mali sunt, ita ut non possint esse nisi peccata, etiam si bonam habeant causam; & quidam in se boni, ita ut etsi malam habeant causam, non tamen boni esse desinant: quod testimonio Augustini confirmant, qui dicit bonum aliquando non bene fieri: quod enim quis invitus, vel necessitate facit, non bene facit, quia non bona intentione facit, ut ait Augustinus super Joannem tract. xli. & de spiritu & littera cap. xiv. & Libr. Sent. Prosp. sent. clxxxii. „Servilis (inquit) timor non est in charitate: in quo quamvis credatur Deo, non tamen in Deum; & si fiat bonum, non bene tamen: nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit.“ Ecce habes quod aliquis non bene facit illud quod bonum est. Facit ergo quod bonum est, intentione non bona. Ideo illi asserunt quædam opera esse talia quæ sic bona sunt, quod mala esse non possint, quocumque modo fiant; sicut è converso quædam sic sunt mala ut non possint esse bona, quacumque ex causa fiant: alia autem esse opera quæ ex fine, vel ex causa bona, vel mala sunt; & ad illa referunt Sanctorum testimonia, quibus vel affectu, vel intentione iudicium operum pensari dicunt. Tripartitam edunt isti differentiam actuum.

Aliter Augustinus sentire videtur, qui dicit opera hominis esse bona, vel mala ex intentione, & causa, præter quædam quæ per se peccata sunt.

SED Augustinus evidentissime docet in Lib. contra mendacium cap. vii. omnes actus secundum intentionem, & causam iudicandos bonos, vel malos, præter quosdam qui ita sunt mali ut nunquam possint esse boni, etiam si bonam videantur causam habere. „Interest autem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendæ sunt. Ea quippe opera hominum, si causas habeant bonas, vel malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per seipsa peccata; sicut victum præbere pauperibus, bonum est, si fit causa misericordiæ cum recta fide, & concubitus conjugalis, quando fit causa generandi, si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc rursus mala sunt, si malas habent causas; velut si iactantia causa pascitur pauper, aut lascivie causa cum uxore concumbitur, aut filii generantur, non ut Deo, sed ut diabolo nutriantur. Cum vero opera ipsa per se peccata sunt, ut furia, stupra, blasphemie; quis dicat, causis bonis esse faciendæ, vel peccata non esse, vel, quod absurdius est, iusta peccata esse? Quis dicat, Furemur divitibus, ut habeamus quod demus pauperibus? Aut falsa testimonia proferamus, non ut inde innocentes lædantur, sed potius salventur? Duo enim bona hæc sunt ut inops alatur, & innocens non puniatur. Aut quis dicat, adulterium esse faciendum, ut per illam cum qua fit, homo de morte liberetur? Testamenta etiam vera cur non supprimimus, & falsa supponimus, ne hæreditates habeant qui nihil boni agunt, sed hi potius qui indigentes adjuvant? Cur non fiant illa mala propter hæc bona, si propter hæc bona nec illa sunt mala? Cur non ab immundis meretricibus, quas ditant stupratores, rapiat divitias vir bonus, ut indigentibus eas largiatur; cum nullum malum sit malum, si pro bono fiat? Quis hoc dicat, nisi qui res humanas, moresque conatur, & leges subvertere? Quod enim facinus non dicatur recte posse fieri, nec impune tantum, verum etiam gloriose, ut in eo non timeatur supplicium, sed speretur & præmium; si semel consenserimus in malis actibus non quid fiat, sed quare fiat esse querendum, ut quæcumque pro bonis fiunt causis, nec ipsa mala esse iudicentur? At iustitia merito punit eum qui dicit, se subtraxisse superflua divitiis, ut præbeat pauperi; & falsarium, qui alienum corrumpit testamentum, ut is esset hæres qui largas faceret elemosynas, non ille qui nullas; & eum qui se fecisse adulterium ostendit, ut per illam cum qua fecit, hominem de morte liberaret. Sed dicet aliquis: Ergo æquandus est fur quilibet furi qui voluntate (2) misericordiæ furatur. Quis hoc dixerit? Sed horum duorum non ideo quisque est bonus quia peior est unus: peior est enim qui concupiscendo quam qui miserando furatur. Sed si furtum omnine peccatum est, ab omni furto abstinendum est. Quis enim dicit esse peccandum, etiam si aliud sit gravius, aliud levius peccatum? Nunc autem querimus, quis actus peccatum sit, (3) vel non, quid gravius, vel levius. Intende lector propositis verbis tota mentis consideratione, quæ non inutilem habent exercitationem; & dignosces quis actus sit peccatum, qui scilicet malam habet causam; nec ille tantum: quia sunt nonnulli actus qui etsi bonam habeant causam, tamen peccata sunt, ut supra positum est. Ex quo consequi videtur quod non semper ex fine iudicatur voluntas, sive actio mala, sicut in illis quæ per se peccata sunt. Illa enim cum quis gesserit pro aliqua bona causa; bonum videtur habere finem: nec ex fine voluntas est mala, nec ex voluntate actio fit mala, sed ex actione voluntas fit prava. In quibus aliqui ponunt actum Judæorum, qui crucifigendo Christum, arbitrabantur se obsequium præstare Deo: quia bonum finem dicunt eos sibi posuisse, scilicet Dei obsequium; & tamen voluntatem eorum, & actionem perversam fore asserunt. De bonis autem nulla fit exceptio in præmissis verbis Augustini, quin omnis voluntas bona ex fine sit bona: & ex fine, & voluntate omnis bona actio, bona est; sed non omnis bona voluntas ex fine mala est, nec omnis mala actio ex fine, & voluntate mala est: & omnis quæ habet malam causam, mala est; sed non omnis quæ bonam habet causam, bona est. Ideoque cum ex affectu dicitur imponi nomen operi, in bonis operibus generaliter vera est hæc regula; sed in malis excipiuntur illa quæ per se mala sunt. Omnia igitur hominis opera secundum intentionem, & causam iudicantur bona, vel mala, exceptis his quæ per se mala sunt, id est quæ sine prævaricatione fieri nequeunt.

(1) Al. hujus hominis. (2) Al. minime. (3) Al. vel si sit, non &c.